



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Regale Sacerdotivm

Besse, Pierre de

Coloniae Agrippinae, 1615

Cap. 4. Sacerdotes lites & contentiones fugiant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54698](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54698)

Neque fures, neque auari, neque ebriof, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt. Hoc Maledici igitur diligenter cogitate Sacerdotes, nolite caelo excludentur. detrahere, maledicere, aliorum imperfectio- nes tolerate; vos ipsos considerate, ac vobis persuadete, caelo vos excludendos, alios si am- plenta lingua proscindere pergatis.

CAPVT IV.

Sacerdotes lites & contentiones fugiant.

IN Prouerbijis scripsit Salomon, improbum & scelestum contentiones & lites excitare solere, Homo peruersus suscitatur rixas. Pro- uerbum hoc locum ut habeat dico, Sacerdo- tem improbum ac nefarium esse, qui conten- tionibus delatatur, ac lites gignit.

Improbi est lites excitare. Pron. 16.

Homo, ait idem iracundus incendit litem & vir peccator turbabit amicos & contentiones seminabit. Ecclesiastici igitur & Clerici uillicigatores, turbidos se & inquietos ostendunt, & prauis animi cupiditatibus regi, furori obsecundare & omnes tur- bare.

Ecclesi. 28. Litigare est sanguinem alie num effundere.

Certamen festinatum, dicit ibidem, incendit ignem, & his festinans effundit sanguinem. Dice- re uult, eos qui lites & contentiones causan- tur, ignem uehementem accendere; & turbas excitare, esse sanguinem effundere, id est bona, substantiam, & vitam hominum perdere. Cum igitur lites fouetis & trahitis Sacerdotes, om- nia illa mala in orbem inuehitis.

Abstine, eodem loco ait, te a lite & minues pecca-



Peccata
condonata
iis qui lites
non ama-
riant.

peccata. Verba & dictata Spiritus sancti, equi-
de dicere a usim Sacerdotibus qui lites fugiunt,
peccatorum onus imminui, & quantum se a tri-
bunalibus & subselliis iudicum remouerint,
tantum delictorum illis, quoad castigationem,
auferri.

Isai. 58.
Sacerdotū
preces inu-
tiles sunt
dum in fo-
ro litigant.

Conqueruntur & exostulant apud Isaiam
nonnulli, quod ieiunia & preces suas Deus non
respiceret, nec iis flecteretur, sed respondit iis
Deus, Quomodo petita vobis concessero, aut
abstinentiis vestris emolliar, ecce ad lites & con-
tentiones ieiunatis. Sumant hinc exemplum Sa-
cerdotes, sibi que persuadeant, orationes suas &
ieiunia frustra esse & inefficacia, si non nisi li-
tes & contentiones sectantur, aliisque acti-
onem intendent: nec enim vota eorum ex-
audiri merentur, quamdiu anima litibus in-
tendit.

Docet
Christus
non esse li-
tigandum.
Math. 5.

Christus fidelem quemdam instruens hac il-
lum oratione compellauit, *si quis te percusserit*
in dexteram maxillam tuam, praebe illi & alteram,
& ei qui vult tecum iudicio contendere, & tu-
nicam tuam tollere, dimitte ei & pallium, & qui-
cunq̄ue te angariauerit mille passus; vade cum
illo alia duo. Sancta hæc lectio aliò non
spectat, nisi vt hinc Sacerdotes edoceantur,
satius esse illos ignominiam sustinere, bono-
rum ac facultatum iacturam facere, aliasque
iniurias perpeti, quàm iudicio contem-
dere.

1. Cor. 11.
Lites de-
decet Sa-
cerdotem.

Corinthios verò his allocutus est verbis A-
postolus: *si quis videtur contentiosus esse, nos talem*
consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.

que pacifica & benigna est, pacisque studiosissima. Si lites & contentiones seculares non deceant, multo minus Ecclesiasticos & clericos decebunt.

Timotheo autem hunc in modum scripsit, *Stultus autem & sine disciplina quæstiones deuita, sciens qui generant lites.* Non vnicum Timotheum salutaris hæc doctrina spectabat, sed omnes vniuersim Sacerdotes; horum quippe est contentiones fugere, & tribunalia & forum remis velisque fugere.

Idem Timotheus dum in Episcopum inauguraretur, hanc illi parænesim prælegit Paulus, *Oportet enim Episcopum irreprehensibilem esse, &c. non violentum, non percussorem, sed modestum: non litigiosum, non cupidum, &c.* Quod primo illi Episcopo ab Apostolo præscriptum fuit, hoc omnibus in genere Sacerdotibus illius successoribus dictum fuit: horum enim est litigia fugere, nec litigandi causa frequentare iudicia.

Seruum autem Domini, scribi in eadem Epistola Apostolus, *non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docilem, patientem, &c.* Sacerdotes autem serui Dei sunt: ergo illorum non est, contendere, aut disceptare, sed benignitatem & comitatem erga omnes, affabilitatemque ostendere.

Inter cetera præcepta Tito Episcopo data, hoc non postremum sibi locum vendicet, *Admone illos, &c. neminem blasphemare, non litigiosos esse, sed modestos.*

Bb 4 Blasphæ

2. Tim. 2.

Timotheum Paulus ad litium fugam hortatur.

1. Tim. 3.

2. Tim. 2.

Dei seruum non sit litigiosus.

Tit. 2.

Blasphemos & litigiosos eiusdem farinae cenfer Apostolus, cum Episcopo huic prescribat, vt non minus hos quam illos corripiat.

Iac. 4.

Apostolus etiam Iacobus sui temporis Christianos corripiens, vitiaque illorum coarguens, imprimis eos reprehendit quod contentiones fouerent, & perpetua in lite viuerent, *Litigati & belligeratis*, &c. Et sanè indecens est & intame, etiam Sacerdotibus & clericis, litibus semper intendere, litem ex lite trahere, & alios exagitare.

Dist. 88. c.

fornicari.

Sæculari

licet in-

dicio con-

tendere,

non Sacer-

doti.

Ad Nepotian.

dist. 88. c. eo.

Antequam quis,

inquit Augustinus, Ecclesiasti-

cus sit, licet ei negotiari, & actiones iuridicas pra-

gere, facto iam non licet. Neque enim decet aut

par est, illos negotiis & litibus sæcularibus

pollui, qui altari & sacrificio Eucharistico de-

stinantur.

Eadem de re agens Hieronymus ait, Negotia-

torem clericum, & ex inope diuitem, & ex ignobi-

li gloriosum, quasi quamdam pestem fuge. Vnde

colligere possumus, Sacerdotes, qui mundanos

affectant, negotia sæcularia pertractant, quam-

primùm & derepentè locupletantur, & ma-

gnates imitantur, rerum publicarum pestes

esse.

Agath. c. 32.

Chalced. c. 9.

Cartha. 3. c. 9.

Tolet. 3. c. 13 re.

Matiscon. c. 8

Quinque Conciliorum canon hic est & de-

cretū, Clericus ne quemquam presumat apud sæ-

cularem iudicem, Episcopo non permittente. p. 118.

Quo Conciliorum Patres aliud non specta-

bant, quam lites & negotiorum commissiones,

Sacerdotibus interdictas esse.

Hinc etiam subdiaconis & iis etiam, qui non-

nisi minoribus ordinibus insigniti sunt, illiciti-

nequeunt, tū, aduocatorū & iuriscōsultorū corā iudicibus

sæcularibus partes agere, nec in parlamentiis

aut

aut curiis disceptare, nisi fortè in propria causa, vel ob Ecclesiæ bonum, vel in pauperum præsidium actutelam. Hæc concilium Latronense, Ecclesiasticum igitur nefas, sæculares causas agere, sed potius Deum pro peccatoribus exorare, & salutis animarum negotia pertractare.

De postul. c. 1.2.3.

Cum Sacerdotis sit officium, ait Gregorius I X. nulli nocere omnibus tamen velle prodesse, non nisi pro teipso, vel Ecclesia aut miserabilibus tibi licitū est postulare. Quamnam igitur damnationem merentur illi, qui lites instruunt, causas agunt, lucri gratia curiam frequentant, & paucis ut complectar, qui mercenarios causidicos & advocatos agunt?

Gregor. 9 de post. c. final.

Magnus etiam Pontifex Eugenius præcepit, Sacerdotibus & clericis denunties publicè, ne ministri laicorum fiant, nec in rebus procuratores existant. Hodie vero lōgè secus fit. nā nō nisi Sacerdotes hodie in tribunalibus & curiis sollicitatores causarum sunt, & in supremis parliamentis negotiorum procuratores & commissarij. Hæc non sunt vestræ partes, Sacerdotes, quod si vero fiat, statum vestrum profanatis, in religionem iniurij & blasphemi existitis, famam vestram destruitis; honestiùs igitur & maiori cum auctoritate viuite, Deum orate, & à libus recedite, nec sæcularibus vos implicate negotiis.

De cleric. vel mon. c. eod. Sacerdotes non sint procuratores rerum & sollicitatores.